

vidistis, Diogenem Stoicum, coëgit in suis studiis obmutescere senectus? ac non in omnibus iis studiorum agitatio vitae aequalis fuit? Age, ut ista divina studia omittamus, possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos, vicinos et familiares meos, quibus absentibus, numquam fere ulla in agro majora opera fiunt, non serendis, non percipiendis, non condendis fructibus: quamquam in illis minus hoc mirum. Nemo enim est tam senex, qui se annum non putet posse vivere: sed iidem elaborant in eis, quae sciunt nihil omnino ad se pertinere:

Serit arbores, quae alteri saeculo prosint, ut ait Staius noster in Synephebis. Nec vero dubitat agricola, quamvis senex, quaerenti, cui serat, respondere: Diis immortalibus, qui me non accipere modo haec a maioribus voluerunt, sed etiam posteris prodere.

VIII. Melius Caecilius de sene alteri saeculo prospiciente, quam illud idem:

Aedepol senectus, si nihil quidquam aliud vitii,
 Apportes tecum, cum advenis; unum id sat est,
 Quod diu vivendo, multa, quae non vult, videt.

Et multa fortasse, quae vult: atque in ea quidem, quae non vult, saepe etiam adolescentia incurrit. Illud vero idem Caecilius vitiosius:

Tum equidem in senecta hoc deputo miserrimum,
 Sentire, ea aetate esse se odiosum alteri.

Jucundum potius, quam odiosum. Ut enim adolescentibus bona indole praeditis sapientes senes delectantur, leviorque fit eorum senectus, qui a juventute coluntur et diliguntur: sic adolescentes senum praeceptis gaudent, quibus ad virtutum studia ducuntur; nec minus intelligo me vobis, quam vos mihi, esse jucundos. Sed videtis, ut senectus non modo languida atque iners non sit, verum etiam sit operosa, et semper agens aliquid et moliens; tale scilicet, quale cujusque studium in superiore vita fuit. Quid, quod etiam addiscunt